

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Amico cuidam

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

iuuenis, cum quo egimus, ut suscipiat curam docē-  
dorum liberorum tuorum. Tu de eo pro tuo iudi-  
cio statues. nam mihi quidem probatur ingenium,  
& spero non defuturam fuisse ei negocij fidem. Id  
sum secutus tunc quoq; cum eum ad Alberti Comi-  
tis filium mitterem. Multum enim refert, quo ge-  
nere orationis initio pueriles aures personent.

Quod cogitas liberos tuos hoc tempore huc mitte-  
re, malim te eos domi retinere, donec uirēs erūt fir-  
miores: et præceptor quanquā est cupidus, tamē iu-  
dicat te debere rationē habere etatis teneræ, quod  
non semper aerem peregrinum, uel culinam alio  
quā nostro more instructam, commodē tolerare  
possunt. Ad hæc, prius te præceptoris ingeniū, ac  
rationem docendi, domestica consuetudine uelim  
explorare. Imitaberis meum consilium. Ego ex ani-  
mo opto, ut Christus tuorum liberorū studium for-  
tinet, eosq; conseruet. Bene uale. Vitebergæ, die  
20 Iunij.

Amico cuidam. *P. Ober. Disp. p. 293.*

S. D. Et uos liberatos esse miserijs obsidionis  
& oppidū utrunq; seruari gaudeo: ac utrunq; asse-  
dus & ueris gemitibus ac uotis à Deo petiui. Nec  
in hoc exilio meo magis de meis miserijs, quā de  
Pastore, Crucigero, & de te, cæterisq; inuocantibus  
Deum in illa dulcissima patria nostra, in qua ma-

x 4 nere

nere summo cum periculo uolulistis, cogitau. Nec  
 procul discedere potui. Familiã igitur duxi in oppi-  
 dum Northausen. Ego in iugis Hercinijs non inter-  
 feras, sed inter homines honestissimos, socios no-  
 stri luctus, uersor. Ibi exitum obsidionis expectare  
 uolui. Nam coniectura quadam ducebar de tempo-  
 re, ut coram narrabo. Cursorẽ meum ad uos misi,  
 ut de statu oppidi, deq; uestris consilijs mihi scriba-  
 tis. Etsi enim erit longius exilium suscipiendum: ta-  
 men colloqui uobiscũ decreui. Optarem nos in ea-  
 dem Academia uiuere posse, ubicunq; Deus aliquã  
 sedem nobis attribuet. Si isthic manent Pastor &  
 Crucigerus, de reditu cogitabo. Sed prius audiam  
 quid tu statueris, & quid mihi faciendum iudices.  
 Omnino mihi morte acerbior est hæc distractio no-  
 stri cœtus. Et tamen serẽdum est, quod mutari non  
 potest. Bene uale, 26 Februarij, Anno 1547.

D. Friderico Bernberck, senatori ur-  
 bis Cithni, S. D.

[Honestissime domine Friderice. Cum Paulus no-  
 ster & tui & patriæ amore ad uos profecturus es-  
 set, & ipse comes amicissimi hominis nunc esse nõ  
 possem: uota tamẽ mea, cum mea etiam epistola co-  
 mitari uolui. Ac primũ oro filium Dei, ut sicut  
 iter facientem Iacob cum familia custodiuit: i-  
 ta hunc, & honestissimam coniugem, & dulcissi-  
 mos